

Ottonis IV & Philippi Reg. 9.
Bernardi III Ep. Pad. 3.

Anno proximo eadem belli tempestas rursus incussa in Colonienses. Quippe Philippus Rex cum exercitu ad inferiorem Rhenum cum Adolpho Archiepiscopo regressus, nihil impensius habuit, quam exauctoratum Archiepiscopum in integrum restituere. Quare in diecesin effusus omnia spolijs, flammis, & terroribus per militum licentiam complet. Spectabat hæc Otto Rex, qui Coloniae versabatur, & Bruno Archiepiscopus recens à Sifrido Moguntino Archiepiscopo consecratus. Et impares licet viribus, ausi tamen sunt cum quadringentis equitibus, & duobus millibus peditum paulatim hosti occurrere, adjuncto sibi Limburgo urbis præfecto. Sed is quod ex composito cum Philippinis dolo ageret, copias in palustria insidiarum loca deduxit, & primus profugit. Restitere aliquamdiu fortiter Ottoniani, ad ultimum profligati. Otto Rex & Archiepiscopus, quò saluti consulerent, in vicinum castrum Wassenbergum se recepere. Insecutus Philippus castrum incinxit. Ibi in extemum uterque discrimen pervenit, quòd locus infirmior esset, quàm ut defendi posset. Quare Rex Otto, capto ex arena consilio, cum tribus socijs noctu profugit, & per medios hostes elapsus, incolumis Coloniae pervenit. Expugnatum postridie castrum, captusque Bruno Archiepiscopus ad Philippum Regem protrahitur; ejusque mox jussu, ferreis compedibus constrictus, Herbipolim abripitur in carcerem, in quo per annum in vinculis jacuit. Colonienses ubi conspexere omnem belli Imperijque molem in se verti, consilio Ducis Brabantiae ac nobilium, per Legatos Philippum Regem Boppardiae adeunt, seseque submitunt; à quo mox Spirensis Episcopus missus Coloniae, cui cives juramentum fidei dixere. Hoc successu etiam Adolphus Coloniensis Archiepiscopus est reductus in sedem; nec tamen ullam sacrorum partem ausus contingere, quòd anathematis adhuc vinculis illigatus teneretur. Non destitit interim Pontifex literis suis animare Brunonem Archiepiscopum subrogatum, omnemque in eo operam ponere, ut Monasteriensem & Osnabrugensem provinciales suos Episcopos, postulato etiam juramento, Ottoni conjungeret; at serò hæc agebantur. Rebus enim in hunc modum repente conversis, Otto Rex Coloniae Brunswicum discessit; ac ne inclinantem fortunam bellumque secum traheret in Saxoniam, per mare in Angliam transijt, patris jactatus fati; ubi & à Joanne Rege avunculo suo, & nobilitate honorificè susceptus, liberaliterque est habitus.

Tum & Sifridus Moguntinus Archiepiscopus, qui eadem periculi nave vehebatur, clam se Colonia subtraxit, ac Romam profectus, benigniusque ab Innocentio Pontifice exceptus, ab eodem ob constantiam fidemque Apostolicæ Sedi præstitam, haud secus quàm ante

Godefrid.
Pantal.
Casarius
lib. 7.
Arnold.
Lub. lib. 7.
Robert. de
Monte.

Bruno
Adolpho
suffectus
à Philip-
po R. ca-
ptivus
detine-
tur.

Coloni-
enses Phi-
lippo se
subjici-
unt, à
quo &
Adolpho
sedi suæ
restitui-
tur.

Innocent.
epist. 137.

te